

2

8

14.

1753. 52

DISPUTATIO IVRIDICA
DE
C V S T O D I A
ET
PERICVLO PIGNORIS.

GERMANIS:

Von sicherer Verwahrung eines übergebenen Pfandes,
und denen dem neuen Besitzer darbey oft auftos-
senden nachtheiligen Fällen.

Q V A M

P R A E S I D E

CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIO,

ICTO CELEBERRIMO,

POTENTISSIMI REGIS POL. ET PR. ELECT. SAXON
CONSILIARIO AVLICO DIGEST. VET. P. P. ORDINARIO

CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS

ITEMQUE ORDINIS IVRIDICI

ASSESSORE

VITÆMB. D. XXVI. SEPT. A. Q. S. P. E. CIO IO CC XXXIII.

HABVIT

CHRISTIANVS SCHLEGELIUS,

IAVCHA MISNICVS.

NVNC, QVIA EXEMPLARIA VENALIA AMPLIUS NON EX-
STANT, 1753. RECUSA,



I E N A E,
IN OFFICINA HELLERIANA.

41
C A S T O D I A
P E R R I C A F O P I G N O R I S

GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN

C H R I S T O P H F A D O V C R E T T O

GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN

C H R I S T I A N S E C H I P E G F L I A S

GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN
GOETHE'S DRAMEN





L. XIII. §. I. D. DE PIGNERAT.
ACT. NON INDIGET EMENDA-
TIONE V. C. GERARDI NOODT.

QVAM inique comparatum est, ii, qui
minus habent,
Ut semper aliquid addant ditia-
ribus.
Quod ille unciatim vix demenso de suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripier, haud existimans
Quanto labore partum. (4)

Ita sunt hi nostri divites : in primis, cum indigen-
tiores aeris alieni vinculis obstrictos, atque alliga-

A 2 tos,

(4) Terent. Phorm. act. I. sc. I. v. 7.

tum malebat. Enimvero non ibi de gradu cul-
pæ, qui præstandus sit, sed generatim, de dolo, &
culpa, tractabatur, de cuius utriusque præstatione
agitur in utroque contractu; ut haec tenus recte
potuerint pignus, atque commodatum, inter se se
comparari. Nihil igitur vitii est in verbis Ulpiani,
quod Virum clarissimum adducere possit, ut du-
riori remedio utatur. Contra, si eruditissimi Bel-
gæ emendationem accipias, in plura incommoda
incidit lex pulchra & aperta. Quis enim credit,
Ulpianum, dum de pignore exponit, dilapsum es-
se, sine caussa, à pignore ad commodatum, &
quod in hoc custodia veniat, vis major non veniat,
loco alieno docuisse: cum utrumque etiam de
pignore recte affirmetur, & commodius referri
possit ad ipsam pignoris, quam Ulpianus suscep-
rat, tractationem.

VERVM, ut dixi, id agit Vir Clarissimus, ut
probet, culpam duntaxat levem in pigneratio ju-
dicio versari. Candidior fuit CVIACIVS, (d) qui,
ut in commodato, ita & in pignore, distinguen-
dum credidit, utrum dantis, an accipientis tan-
tum, an utriusque caussa contrahatur; &, si acci-
ipientis caussa factum sit, culpam levissimam, si
dantis,

(d) Cujac. Obs. L. 19. c. 24.

2

dantis, latam, si utriusque, levem nimirum cul-
pam, cum à creditore pignoratio, tum à com-
modatario, præstari. Aequiores etiam Græci in-
terpretes, qui, dum durat jus pignoris, de levissi-
ma, cum solutum est, de levi culpa creditorem te-
neri voluerunt.

NON tamen ausim alterutri parti me adjün-
gere; cum utraque interpretatio non nihil habeat
difficultatis. Certissimum est, culpam in pigno-
re arbitrio judicis, & boni viri, æstimandam, &
prospiciendum, ut neque delicatus debitor, neque
creditor onerosus audiatur. l. 25. D. de *pignerat.*
act. Quod cum Ulpianus de contrario pignoris
judicio præcipiat, multo magis sequendum erit in
directo.

RECTE observat B. BETERVUS, (e) dari
quosdam gradus etiam exactissimæ diligentiaz :
adeoque difficile esse, ut una circumscriptione o-
mnia, quæ eo pertinent, definiantur : sed judicis
partes & æquitatem in æstimatione diligentiaz desio-
derari. Neque tamen ideo contempnendæ sunt re-
gulae, quæ de culpa præstatione à veteribus tradun-
tur; sed eo pertinent, ut judex in æstimatione,
prout res ferat, modo pronior ad adstringenda
vincu-

(e) Beyerus Posit. ad ff. p. 285.

vincula obligationis esse debeat, modo etiam facilior in illis laxandis, atque remittendis.

EXPO^NAM breviter, quid mihi videatur. Dissimulari non potest, minorem in pignore, quam in commodato, diligentiam desiderari: non obscure enim §. 4. I. q. mod. r. contrab. obl. & l. 5. §. 2. & l. 18. pr. D. *Commod. pignus*, atque *commodatum*, in illo argumento se junguntur; sed & hoc certum est, plusculum, quam levem culpam, à creditore pigneratatio, &, præter illam, etiam custodiam desiderari: solos casus fortuitos remitti. Id enim, cum aliis argumentis omnino multis, tum l. 19. C. de *Pignor.* & l. 7. C. de *Pignerat.* act. comprobatur; ut credam, culpæ quidem levissimæ quendam gradum etiam à creditore pigneratatio præstari, nec sufficere, si vulgarem illam diligentiam, quam suis plerisque rebus accommodare solet, adhibuerit: sed judicis tamen arbitrio permitti, ut benignius subinde de creditore pigneratatio, quam de commodatario, statuat. Ita mihi sedet. Utrum recte, deinceps apparebit

II.

NVSQVAM DISERTE DICITVR, LEVEM DVNTAXAT CVLPAM IN PIGNORE PRAESTARI.

DVRIA

DUBIA sunt pleraque legum Romanarum
præcepta, quibus levem duntaxat culpam à credi-
toribus in pignore præstari vulgo contendunt. Im-
perator §. 4. I. q. mod. re contr. obl. sufficere ait, si,,
ad pignus custodiendum **EXACTAM DILIGENTIA**,
TIAM adhibeat creditor; quam si præstiterit, &,,
aliquo casu fortuito pignus amiserit, securum esse.,,
Sed, ne credas, exactam diligentiam, mediocrem
illam, qua levis culpæ præstatione defungimur,
duntaxat contineri. Incerta sunt hæc verba, &
modum ex negotio, cui adhibentur, accipiunt.
Idem Imperator §. 2. I. eod. tit. etiam eum, qui uten-
dum, id est, commodatum, accepit, sane **EXACTAM**
diligentiam custodiendæ rei præstare jubet: quem
tamen nemo dubitat, plerumque culpam levissi-
mam præstare. VLPIANVS l. 5. §. 2. & GAIUS l. 18.
pr. D. *Commodat.* item VLPIANVS l. 25. D. de *Pign.*
act. dolum & culpam à creditore exigunt; sed ex-
peditum est, imperfectum hunc sermonem esse, &
culpæ nomine, si abscisse ponatur, non semper le-
vem culpam, verum interdum omnem diligentia-
m, prout naturæ negotii convenire videatur, in-
dicari. Magis PAVLLVSTurbare videbitur, qui l.
14. D. de *Pign. act.* ea exigi à creditore ait, quæ diligen-
gens paterfamilias in suis rebus soleat præstare.

B

Qui-

O III

Quibus verbis diligentiam communem, & levem
culpam plerique credunt contineri. Sed nihil hoc
me movet. Diligentes patresfamilias aliis atque
aliis rebus aliam diligentiam adhibent, his soler-
tem, & sollicitam, & circumspexitissimam, illis re-
missioem: prout alia atque aliae majoris pretii,
majorique studio dignæ, esse videantur. Ethac
igitur verba, minus plenam orationem continent,
atque interpretationem ex illis accipiunt, quæ spe-
ciatim de pignore, & creditoris officio, dicuntur.
Ita & PAPINIANO occurri potest; qui soluta pecu-
nia, ait, possessionem pignoris à creditoribus resti-
tuendam: nec quidquam amplius desiderari l. 40.
§. 2. D. de Pign. act. Nimirum, Papinianus his
verbis calus fortuitos exclusit, modum diligentie
non definitivit. Imo vero, pignus duntaxat resti-
tuendum est, neque quicquam amplius debetur;
sed restituendum est in eadem causa: non dete-
rius: cum, qui rem deteriorem restituit, non re-
stituisse videatur. l. 3. §. 1. D. Commodat. Nu-
quam igitur in pigneratio judicio exclusam om-
nino culpæ levissimæ præstationem, deprehendo.

2

III.

**ODIOSVM EST IVS PIGNORIS,
NEQVE SEMPER VTRIVSQVE
VTILITAS IN PIGNORE VER-
SATVR.**

ENIM vero, multa me adducunt, ut credam,
ad strictius creditorem pignoratitium, quam ceteros,
à quibus communem diligentiam exigimus;
teneri. Ipsum jus pignorum quam durum est,
quam grave, quam plenum invidia? Auferre manu
dextra, quod ægre sinistra porrexeris: beneficij
gratiam crudelitate perdere: cum necessitatē
miserorum datis rebus mutuis adjuvare, & solari
volueris, ipsos spoliare, usu rerum suarum illos
excludere, possessionibus manum injicere, &c.
quando egestati debitoris aliqua in parte consulua-
ris, operari dare, ut jam ex alia parte egeat: cap-
tis pignoribus hominem nudare, fortunis exuere,
non gratiae, non misericordiae locum dare: hæc,
inquam, omnia, tanto asperiora sunt, tantoque
magis ab humanitate aliena, quanto frequentius
pignora ab indigentioribus, & proxime conturba-
turis, accipiuntur, atque ad illos transferuntur,

B 3

quos

quos convenerat, etiam cum aliquo incommodo, laudem liberalitatis & beneficentiae tueri. Repte MARTIALIS (f) renunciat homini crudeli amicitiam, & odium pro gratia reponit, qui, cum ipsis non crederet, malebat in fundis ejus spem & fiduciam collocare. Ita enim ille :

Cum rogo te nummos sine pignore ; non habeo, inquis;

Idem si pro me spondet agellus, habes.

Quod mihi non credis, veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.

Ecce, reum Carus te detulit : adsit agellus.

Exilii comitem queris ? agellus eat.

CAVE, accuses bilem, atque incontinentiam, poetar. Qui enim poteras magis pudorem onerare hominis ingenui & probi, sed pauperis, & cum fortunae iniuritate conflictantis, quam, cum non dissoluto debitori fidem negares, quā sola humanae vitae consortio, & societas, quasi quodam vinculo continetur. Enimvero homini fidem detrahere, næ, illud est innocentem occidere, & prope indignum jure societatis, atque civitatis communis, judicare. Quanto accommodatius ad hominem

(f) Epigr. L. XII. 25.

minum conjunctionem divinissimus legislator (g) moderationem creditoribus præcipit, ut memores humanitatis, pignora ab invitis ne capiant, neve domum debitoris, capendi pignoris causa, introeant; sed ut foris exspectent, & cum miseratione quadam ab offerente accipient: etiam non solutum subinde, ante solis occasum, indigentioribus restituant: communi hominum sorte & calamitate attingantur. Quapropter, si rationem naturalem audias, fere non favendum est creditoribus plerisque; sed consulendum oppressis, atque laxanda nonnihil vincula, quibus debitores alligantur.

SED ais: pignus tamen VTRIVSQUE utilitatis causa contrahi: hæc talia neutri omnino parti odiosa esse; sed æquationem juris, quæ præcipua est lex societatis continere. Enimvero, si rationem non contemnis, an si negare, quod semper utriusque utilitas in pignore veretur. Eti enim hoc videtur debitoris cile commodum, quod, ut ait Imperator, §. 4. I. q. mod. re contr. obl. facilius ei pecunia credatur; quis non videt, hanc utilitatem debitori ingenuo, & indigenti, à creditore etiam sine pignore deberi. Quæ igitur utilitas esse pot-

B. 3

est

(g) Deut. 24. v. 6. 10. 11. 12. 13.

est pignoris, illud per pignus impetrare, quod ab altero, si humanitatis rationem habere, & lux aviditati temperare voluisse, etiam citra pignus expectari potuisset. Imo vero certissimum est, si de subtili jure civili disputemus, nunquam omnino in pignore debitoris utilitatem versari; sed solius duntaxat creditoris. Separandi enim sunt duo contractus: alter, quo debitum contrahitur, qui potest utriusque commoditatem continere; alter accessorius pignoris, quo id agitur, ut pignus soluto debito in specie restituatur: qui ob solus creditoris securitatem, seu, ut Justiniani verbis utar, quo magis in tuto ipsis sit creditum, initur.

IGITVR, si solum contractum pignoris, separatum à principali, spectaveris; temere affirmatur, utriusque utilitatem in pignore versari. Contra, benigniori jure, spectato totius negotii ambitu, dici potest: debitoris ignoti, maxime peregrini, aut, qui dubia famæ sit, ut non facile conditionem mutuæ pecuniae inventurus esse videatur, interdum interesse, ut dato pignore ipsis faciliter credatur. Sed ne civili quidem jure id semper tuto adfirmabis: Sunt enim ejusmodi species complures. Finge: Te donare homini ignoto, aut liberalitatis exercendæ causa honorarium promittere,

2

mittere, & præterea, ne quid dubitet, fidem pro-
missi etiam pignore firmare ; (MARCIANVS enim
l. 5. D. de *Pignor.* me docuit, ad quancunque ob-
ligationem subinde adjungi pignus posse;) Vides,
tibi nec leri, nec meti in illo negotio : Virtutis, &
magni animi ostendendi, causa pignus à te obliga-
tum esse, nihil ad te utilitatis, omne ad adversari-
um, spectare. Quod uti honeste à te factum, ita
non sine rusticitatibus nota acceptum est à tuo credi-
tore. Et profecto magis creditoris interest, tuto
collocari pecunias, quam debitoris, pignore para-
to ubivis non difficulter fidem inventuri, refert, sibi
pecuniam credi.

... scenerator Alfius,
jamjam futurus rusticus,
omnem redegit Idibus pecuniam,
QVAERIT CALENDIS PONERE (b)

HOC agnoscit POMPONIVS l. 6. pr. D. de *Pign.* act.
qui, si convenerit, ut fundum pigneratitum tibi
vendereliceat, TVA, id est, creditoris, tantum cau-
sa, illud cautum esse adfirmat, ut ne quidem neces-
se habeas, ut vendas. Sed, cum teste VLPIANO
l. 4. D. de *Pign.* act. semper distrahere pignus liceat,
fimo-

(b) Horat. Epop. II. v. 67.

Si modo non convenerit, ne liceat; apparet, omne pignus, creditoris gratia in primis, constitui. Quæ pacta, si Justiniani philosophiam sequeremur, ita accipienda essent, ut & debitoris utilitatem continerent, quo facilius ipsi pecunia crederetur. Sepe igitur, & plerumque, creditoris tantum gratia pignus contrahitur. Nec timeo Justinianum, qui §. 4. I. q. m. re contr. obl. utriusque gratia pignus dari, affirmavit: neque cum Ulpiano controversiam exercebo, quil. 5. §. 2. D. *Commodat.* ait, in empto, in locato, in dote, in ~~ri~~ NORE, in societate, verti utilitatem utriusque, adeoque & dolum, & culpam, à partibus præstari. Familiare enim est & Imperatoribus & JCtis, negotii naturam subinde, ex illo, quod aliquando verum est, & interdum accidere solet, definire: sed hæc talia jus non faciunt. Cum enim naturam negotii exponunt, legibus, ut illud sit, quod non est, efficere non possunt, neque naturam omnino in potestate habent. Imo, ne quidem hic ipsis animus fuit, ut hæc talia perpetuo vera esse nobis persvadeant. Eodem fere sensu de *commodato* & *Imperator*, & *J Ctus*, verba fecerunt, illud solam ejus, cui *commodatur*, utilitatem continere; cum neuter neget, & ob dantis, & ob utriusque, utilitatem *commodari* posse, ut pu-

ta,

ta, ut sponsa mea ornatior mei honoris gratia procedat, aut communis amicus ad cœnam invitetur;

APPARET igitur, ex negotii formula nihil certi de utilitate pignoris definiri posse, sed illam ex his, quæ in qualibet specie obveniunt, subinde astimandam esse. Neque exigua quædam dantis utilitas efficit, ut culpa levis tantum prestetur.

III.

PIGNORA APVD ROMANOS IN- TER RES CHARISSIMAS ET MAXIMI PRETII HABITA.

NEQUE tam alienum fuit ab humanitate ingenium honestissimi, post hominum memoriam, populi, quin parcendum esse rebus amicorum, abstinendum rebus alienis, pignora, ab egentibus ad se delata, summo studio servanda, atque ab omni injuria defendenda, cogitarent. Inde evenit, ut si rem quandam præcipuo loco habendam esse, & memoriam absentium in primis coptinere, crederent, illi tei nomen pignoris, pignoris charissimi, accommodarent. Cum nihil tenerius moveat hominum animos, quam mutui amores ; et iam quæ ab amantibus data erant, pignora appellabantur.

C

for-

a b c formaque ante omnes pulcher Julius
Sidonio est in vectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum & PIGNVS amo-
ris. (i)

Qui sensus humanitatis etiam rusticum ingenium
apud VIRGILIVM tetigit: (k)

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
PIGNORA chara sui.

Quid quod, ipsi liberi, quibus nihil magis paren-
tibus natura commendavit, subinde pignora veter-
ibus dicuntur: in quibus omnem & fiduciam po-
sitam habebant, quos solatium senectutis, volup-
tatem ætatis florentis, expectationem posteritatis
continere, arbitrabantur.

Nate parum fausti memorabile PIGNVS amo-
ris. (l)

Ipse Brutus Tullio PIGNVS esse libertatis visus est:
tanto studiosius colendus & retinendus memoria
civium, quanto majus in libertate momentum fe-
licitatis humanæ versari existimabat. (m)

HAEC

(i) Virg. Æn. V. v. 576.

(k) Virg. Ecl. 8. v. 91.

(l) Ovid. Heroid. Ep. XI. v. 1134

(m) Cic. Or. Philipp. 4. 192.

HAEC talia remissius à Romanis, aut incuriosus asservata esse, existimas? quibus inter res humanas vix quidquam majus & potius cogitare posse videbantur. Certe apparet, cum & ad appellanda illa, quæ homini post vitam carissima sunt, & in primis amabilia, tractum sit pignoris nomen, sancta ipsis pignora fuisse, & religiosius, quam cetera, quæ patris familias diligentis cura continentur, custodita.

V.

MAXIMA DILIGENTIA NON
OBSCURE EXIGITVR IN LE-
GIBVS ROMANIS.

SED, ne quis hæc dubia, atque incerta arbitretur; sequamur PAVLLVM, qui l. 1. D. de R. I. non ex regula ius sumi, sed ex iure regulam, præcipit. Igitur videamus, quid exegerint à pignorariis creditoribus Leges Romanæ; ut intelligatur, ad quam diligentiam officia illorum referantur. Primo PAPINIANVS l. 40. §. 2. D. de *Pign. Aet.* soluta pecunia creditorem RESTITVERE jubet pignoris possessionem; sed ex VLPIANO discis, l. 3. §. 1. D. *Commod.* & l. 13. §. 1. D. de *V. S.* quod si res

C 2

quidem

quidem reddita sit, sed deterior reddita non reddita omnino videatur; cum dicatur proprie res non reddita, quæ deterior reddatur. Quapropter non solum ALEXANDER l. 3. C. de Pign. act. creditorem, qui agrum deteriorem constituit, pigneratitia obligari; sed ULPIANVS etiam, si rem pignori datam male tractaverit creditor, vel pignus vivum debitaverit, hoc judicio teneri, affirmarunt. Solos nimirum casus, QVI PRAEVIDERI NEQUEVNT, exceptit ALEXANDER l. 6. C. de Pign. act. & manifestissimis rationibus, rem casu perditam esse, probari cupit l. 5. C. eod. Contra, si quid insolentius commisum, si pignus repositum, ubi publice reponi non solebat, ubi non satis à periculo tutum esse videbatur; damnat DIOCLETIANVS cum Collegal. 9. C. eod. tit. Ex quibus rebus apparet, nihil, quod caveri possit, nihil, nisi quod prævideri nemo queat, nihil, nisi quod casu accidisse, liquidis probationibus, ostendatur, creditoris negligentia remitti. Quæ si quis cogitet; non dubitat, Diocletianum, atque Ulpianum, qui l. 19. C. & l. 13. §. 1. D. de Pign. act. præter culpam communem, etiam custodiā à creditoribus exigunt, solamque vim majorem excusant, majus quoddam, quam ordinariam illam diligentiam, à creditore

2

ditore pigneratio desiderare. Non ignoro, a-
pud GAIUM l. 2. D. de peric. & comm. rei vend. esse
species quasdam, & minus plenæ, & plenæ custo-
diaz, quarum illa dolum duntaxat, hæc vero dili-
gentiam continet; sed ubi custodia, præter dili-
gentiam, & culpam communem, exigitur, quod
Ulpianus & Imperator legibus supra excitatis fece-
runt, tunc fere plusculum, & gradum aliquem ex-
actissimæ diligentiaz, judicis arbitrio definiendum,
indicari, disputatione non indiget. Certe, si res
æstimata forte data sit, etiam periculum præstan-
dum ab eo, qui æstimationem se præstirum rece-
pit, Ulpianus docet, l. 5. §. 3. D. de Commod. in qua
specie multo magis creditorem de culpa levissima
teneri, nemo dubitat.

VI.

SEGNITIA NON SEMPER LA- TAM CVLPAM NOTAT.

Exculant PHILIPPVS A. & PHILIPPVS IMPR.
l. 8. C. de Pign. acz. creditorem, cui nulla culpa, seu
SEGNITIA imputari potest. V. C. Gerardus
Noodt (n) segnitiem, manu indocti interpretis adie-
ctam, credit, & miratur, hoc neminem, ne se qui-

C 3

dem,

(n) Obs. L. II. cap. 13.

dem, qui omnia videat, vidisse. Segnitiem enim latam duntaxat culpam, magnam atque nimiam illam, notare, imo stuporem, cum quis non intelligat, quod omnes intelligunt. Quare non patitur Imperatores, ne quidem mortuos, nisi ex sua sententia scribere; sed vocem **SEGNITIA** crudeli vulnera averruncat. Dubito, ne **SEGNITIA** vox ad omnem omnino culpam accommodetur. Enimvero, diserte Imperator negat, illum, apud quem res deposita est, culpæ nomine, id est, **DESIDIA**, (quæ citra dubitationem **SEGNITIA** gemina est) & negligentia, sed ex solo duntaxat do-
 lo, qui culpam latam comprehendit, depositi judicio teneri. Nihil apertius, quam segnitiam & desidiam hoc loco latæ culpæ opponi, atque ab illa segregari. Sed non obscurius **PAPINIANVS** l. 52.
 §. i. D. de *Fidejuss.* **SEGNITIA** nomine culpam medianam seu levem comprehendit: Ait enim fraudem, quæ & latam culpam, ut dictum est, contineat, seu **SEGNITIEM** tutoribus damnum dare. Nemo ignorat, **LEVEM** etiam **CVLPAM** in tutelæ judicio versari. Ipse **FESTVS**, quem Vir Clarissimus in partes suas vocat, segnitiem omni diligenter adversariam constituit: Segnities, inquit, quod sine **NITENDO** quod utile auct honestum. Sed **NITENDO**

ri dicuntur, qui in negotio elaborant, nervos intendent, opus vi magna, & studio insigni moluntur. Præterea, ne veterum, ad quos ille confundit, autoritate destitui credamus, audiamus VIR-

GILIVM, qui aliquando (o)

FESTINATE, viri, nam, quæ tam sera mo-
ratur

SEGNITIES?

Audis, illis, qui non festinant, segnitiem objici: Sed festinationem facile apparet, esse officium hominis gnavi atque diligentis: adeoque segnes esse, in quibus diligentia & solertia studiosior, atque intentior, desideratur. CICERO etiam L. I. de Oratore (p) de impudentia dixi, inquit, castigemus etiam SEGNITIEM: ut intelligatur, quemadmodum impudentes sunt, qui libertatem orationis continere intra modestia fines non possunt, ita SEGNES appellari, qui sine alacritate, sine concitacione mentis, sine studio verba faciunt. Idem ille etiam alio loco (q) commendat, oratorem sine SEGNITIE verecundum: atque segnem dicit, qui tunc animis eadit, cum non decet verecundari:

quem

(o) Virg. Aen. II. v. 374.

(p) Cic. L. I. de Orat. 100.

(q) Cic. Clar. Orat. 191.

quem spiritus & ingenium deserit, cum proeedit ad dicendum. ARRIVS MENANDER l. 6. pr. D. de Re Mil. Delictum militis esse dicit, quod aliter, quam disciplina communis exigit, committitur : ejusque rei exempla crimina *segnitie* & contumaciæ ponit: ex quo loco apparet, omnes illos legnes adpellari, qui minus strenue, minus diligenter, imperata perfecerunt, quam exigit disciplina militaris.

VII.

CREDITOR DE CASV FORTVITO
NON TENETVR NEQVE TAMEN
PRORSVS INIQVM EST IVS SA-
XONICVM QVOD MORTE FOR-
TVITA ANIMALIS, PIGNORI DATI,
CREDITVM, AMITTI IVBET.

Vis major non venit in pignore, nullusque casus, qui culpa vacat, & prævideri non potuit. Ita VLPIANO l. 13. §. 1. D. de *Pign. act.* atque Imperatoribus l. 5. 6. 8. 9. C. eod. tit. l. 19. & 25. C. de *Pign. visum est*: ne intertritura quidem, id est, detrimentum, & vitium, quod res ex usu contraxit, cum illa sine creditoris culpa ad publicas necessita-

tes adhibita est, teste SCAEVOLA l. 43. §. 1. D. de
Pign. act. præstari debet: imo vero ne exusta qui-
 dem insula, quæ creditori obligata fuerat, extin-
 gvitur jus pignoris; sed, si à debitore restituta fu-
 erit, secundum LABEONEM l. 35. D. de *Pign.* jure
 pignoris tenetur. Præterea VLPIANVS generatim,
 quidquid pignori commodi vel incommodi for-
 tuito accesserit, putat ad debitorem pertinere. l. 21.
 §. 2. D. de *Pign.* Quid, quod ne actionem quidem
 personalem amittit creditor, quamvis pignore a-
 missol. 6. C. de *Pign. act.* l. 3. C. de *diss. pign.* Ne-
 que interest, vivum pignus, an carens anima, cre-
 ditor acceperit; cum nec ANIMALIVM casus mor-
 tesque, quæ sine culpa accidunt, præcipiente VL-
 PIANO l. 23. D. de *R. Jur.* l. 5. §. 4. D. *Commod.* à
 quoquam præstentur; sed grege pignori obliga-
 to, prioribus capitibus decedentibus, si totus grec
 fuerit renovatus, etiam novus pignori teneatur l.
 13. pr. D. de *Pign.* aut, omnibus intermorientibus,
 duret actio adversus debitorem. Sed SAXONES
 in illa parte à Romanis discesserunt. Placuit enim,
 animali, quod pignori datum fuerat, mortuo, sine
 culpa creditoris, non quidem id, quod interest,
 præstari, sed tamen creditum amitti. 3. Landr. c. 5.
 Ita enim autor speculi: Stirbt aber ein Pferd,
 D oder

oder ein Vieh, in der Vorsakunge, ohne jenes
 Schuld, der es unter ihm hatte, beweiset er das,
 und kan auch sein Recht dazu thun, daß es ohne
 seine Verwirlosung gestorben sey, er gilt es ihm
 nicht. Er hat aber sein Geld verlohren, da es ihm
 von vorsezt stunde, ihr Gelübde stunde denn an-
 ders. Qui locus dici non potest, quanta inqui-
 tatis accusatus sit ab interpretibus. Mihi videtur,
 ferri posse non proslus inepta majorum contvetu-
 do. Ne Romanis quidem plane incognita, aut
 ab ipsis improbata fuit. ALEXANDER enim l. 6.
 C. de Pign. act. ait, pacto constitui posse inter con-
 trahentes, ut debitor, pignore etiam sine culpa
 creditoris amissio, liberetur. Sed constat, de qui-
 bus pacisci possumus, illa etiam moribüs, & legi-
 bus definiri posse, citra notam manifeste injuria,
 & iniquitatis. Imo PAULLVS creditorem, qui
 ipse pignus ceperat, & invito debitore ratem ejus
 retinuerat, jubet ratis periculum prästare l. 30. D.
 de pignerat. act. Ex quibus appetat, non penitus
 iniquam Romanis visam esse contvetudinem, qua
 creditor, amissio pignore, subinde etiam creditum
 amittit. Præterea Romani pignoris traditionem
 in quibusdam caussis venditioni compararunt. l. 1.
 §. 2. D. que res pign. & l. 16. 8. 9. D. de Pign. Quæ
 igitur

igitur invidia est, Saxones debitoribus, qui res suas
creditoris rapacitati permiserunt, idem laxamen-
tum, quod venditoribus datur, concessisse, ut, pi-
gnoribus casu fortuito amissis, subinde liberentur;
In primis, cum creditor interdum æque, atque
emptor, usurarum loco, etiam fructus pignoris lu-
cretur, propter quorum perceptionem ajunt ad
emptorem periculum rei venditæ spectare. Cer-
te, si rationem naturalem sequamur, creditor con-
queri non poterit, si pignore, cui incumbebat, a-
missio, actio in debitorem ipsum denegetur; cum
ipse ab initio maluerit fidem pignoris sequi, quam
perlonæ: aut tamen tutiorem existimaverit pigno-
ris possessionem, quam fidem debitoris. Secum
queratur, quod HOMINI non crediderit, sed spem
in AGELLO ejus posuerit, aut in insula, aut bove,
quem pignori accepit: quo tradito putavit, se lu-
rum perdere non posse. Durum est, debitorem,
hominem plerumque rerum omnium regentem, à
creditore non solum fœnore necari; sed etiam pi-
gnoribus, & fortunis, spoliari: & præterea etiam
ex contractu conveniri, adeoque in triplex dam-
num incidere, crudelitate debitoris & fortunæ.
Multo rectius MARTIALIS, loco à me supra indi-
cato, in pignore accepto acquiescere jubet credi-

D 2
torem,

torem; qui suam fidem contemperat. Neque enim iniquum est, ut creditor viam, quam elegit, ambulet, &c., pignore arrepto, fortunam pignoris sequatur.

SED maxime mortuis ANIMALIBVS, de quibus tractat Auctor Speculi, creditum amitti, æquitas insignis videtur postulare. Enimvero, si magnam veterum paupertatem cogites, Saxonum in primis, quorum artes usu militiae, & cura ruris aviti, divitiae equo forte, quo in hostem veherentur, & exiguo grege pecudum, quo familiam alerent, continebantur; merito severius statutum est in creditores, immemores humanitatis, qui debitoibus etiam equos, etiam pecudes, quibus fere solis vitam tolerabant, abstulerunt: quibus obligatis, sua omnia, imo, quod sanctissimus Legislator ait, Deut. 24. v. 6. animam suam, & illum, quem trahebant, spiritum, obligavisse videbantur. Non placuerunt ejusmodi pignora Romanis; certe nolebant, generali obligatione supellestilem, vestem, necessaria ministeria, & quæ ad usum quotidianum habeantur, contineri. I. 6. & 7. D. de Pignor. Pie etiam CONSTANTINVS, item HONORIVS & THEODOSIVS l. 7. & 8. C. que respign. illa, quæ ad culturam agri pertinent, boves

ves aratores in primis, pignoris caussa de possessio-
nibus abstrabi, prohibuerunt: postea etiam qua-
drupli pœna in illos, qui in res ejusmodi vi inva-
dant, constituta. *Auth. Agricultores, C. eodem tit.*
Quis igitur faveat crudelitati creditoris, qui ne e-
quo quidem & pecudi, hominis egeni, id est, ne
vitæ quidem debitoris, in summis necessitatibus,
pepercit? Multo rectius constitutum est, ut, in
pœnam morositatis suæ, pignore amissō, etiam de-
bitum amittat: neque ideo miseratione dignus
erit, cum potuisse, ne mortuo pignore creditum
amitteret, pacto interposito, sibi prospicere. Quod
cum intelligeret Serenissimus Legislator Augustus
P. II. C. El. 26. non prorsus damnavit veterem con-
suetudinem; sed fraudes tantum improborum,
qui lege abutebantur, & interdām de industria pe-
cūs morbidum creditoribus pignori tradebant, ut
dein mortuo pignore liberarentur, justissime nota-
vit: Weil aber solche Ordnung nicht allein den
gemeinen beschriebenen Kaiserlichen, sondern
auch denen natürlichen Rechten etwas zu wider-
lässt; so wollen Wir, auf unterthänigste Erin-
nerung unserer Verordneten, die Disposition des
Sachsen-Rechts in diesem Fall wieder aufgehoben,
demselbigen derogiret, und daneben verord-
net

uet haben, daß fortan, nach gemeinen Keyserlichen Rechten, disfalls gesprochen und erkant werden soll. Ex hac enim causa merito emenda-ta est lege sanctissima vetus, ceteroquin non penitus inepta, consuetudo. Illud expeditum est, pi-gnoribus, in qua luditur, quod subinde licet, te-

ste PAVLLO, l. 4. pr. D. de Aleat. casu

amisis, nihil viatoribus
deberi.

SOLI DEO GLORIA.

Der Platz erlaubt bekannt zu machen : Dass von dem Herrn Hoffrath Crell gegenwärtig annoch folgende Disputationes, in der Hellerischen Buchdruckerey zu Jena auf der Rose, und ein Catalogus von 83. Continuationen, einige 1000. Stücke, dergleichen anzeigen, eben da-selbst zu bekommen :

De jure manuum & pœnis in judicio criminali germanico in primis amputacione.

De peculio personarum sui juris ad L. LXXIX:
§. I. D. de Legat. III.

De hereditate vendita.

De

De privilegio sementis & leminum.
 Clericum ob pactionem cum patrono factam
 sacerdotio se abdicantem defendens.
 Publicam ceremoniam qua urbes condebantur
 ex antiquitate romana proferens.

De poena silentii & conscientiae delicti alieni.
 Præsumptionem & qualitatis in judiciis divisoriis & actione negatoria ad L. VII. D. fin. regund. explicatis.

Puteal Libonis ex antiquitate erutum sistitur.
 De sermone maritali cum uxore testamenti faciendi causa.

De duobus fratribus in eadem lite partium adversarum patrocinium suscipientibus.

De divisione nominum in judicio familiæ excisum interdum necessaria ad L. III. D. fam. excilc.

Legatum liberationis solutione spontanea non extingui ad Leg. XI. §. XIII. D. de Legat. III. sistens.

De adoptione in locum fratris non monstrosa, ad L. LVIII. § I. D. de hered. instit.

De tutore aneclogisto & quando rationes tutiarum reposci nequeant.

De thesauro à mercenariis aut fabris invento ad L. LXVII. D. de rei vindicat.

An conditio quæ propter casum impleri nequit
pro

pro impleta habeatur? ad concil. legg. adversas
XXXI. D. de condit. & demotistr. & 54. §. i. d. leg. i.

Utrum feudo legato ejus aestimatio debeatur?

De thesauro à mercenariis aut fabris occultato,
ad L. III. §. XI. D. de jure fisci.

Jus aetatis ex lege naturali atque antiquit. eruens.

De animo novandi factis expresso, ad L. VIII.

C. de Novat.

De fructu & effectu negotii inutil. nullius & imperfecti,

De otii poena & jure magistratus in homines ociosos.

Corporis integrum robusti & proceri privilegium defend.

De delictis quibus honestum initium fuit, ad L. 6.

De servitutibus ad certum modum restrictis, ad L. 4.

De servitute usus eisque benigna interpretatione.

De laude nuda in primis judiciali & legitima, ad L. i.

De monumento sec. voluntatem testatoris faciendo.

De praescriptione petitionis hereditatis patern. & avitæ.

De jure optionis maxime in debitibus alternativis.

Jus obsidum invitorum & citra conventionem cum ad-
versa parte captorum atque retentorum deducens.

De usufructu prædii voluptarii, ad L. XIII. §. IV. ff. de us.

De legato tacito & implicito in quo legatarius non no-
minatus est, ad L. III. §. III. IV. V. D. de liberat. Legat.

Utrum herede instituto intra annum deliberandi mor-
tuu substitutus admittatur?

Servitutem altius tollendi in usucapione libertatis con-
sistere disquirens.

De mutuo fœminæ alii credituræ dato.

De venditione rerum cum fundo adhuc coharentium,

F. I N I S.

AGITTENBERG, Diss., 1733



Sb) 01

M. H. g. Sch. ad. Hoff + f

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
0
Inches
Centimetres

D I S P U T A T I O I V R I D I C A

D E

C V S T O D I A
E T

P E R I C V L O P I G N O R I S.

14.

1733 5t

G E R M A N I S :

Von sicherer Verwahrung eines übergebenen Pfandes,
und denen dem neuen Besitzer darbey oft auftos-
senden nachtheiligen Fällen.

Q V A M

P R A E S I D E

C H R I S T O P H . L V D O V . C R E L L I O ,

I C T O C E L E B E R R I M O ,

O T E N T I S S I M I R E G I S P O L . E T P R . E L E C T . S A X O N
O N S I L I A R I O A V L I C O D I G E S T . V E T . P . P . O R D I N A R I O
C V R I A E P R O V I N C I A L I S E T S C A B I N A T V S
I T E M Q V E O R D I N I S I V R I D I C I
A S S E S S O R E

V I T E K E M B . D . XXVI . S E P T . A . Q . S . P . E . C I O I O C C XXXIII .

H A B V I T

C H R I S T I A N V S S C H L E G E L I V S ,
I A V C H A M I S N I C V S .

N V N C , Q V I A E X E M P L A R I A V E N A L I A A M P L I V S N O N E X -
S T A N T , 1 7 5 3 . R E C V S A ,

I E N A E ,
I N O F F I C I N A H E L L E R I A N A .